DE
PVGNIS IVRECONSVLTORVM

MODERANTE

AVGVSTINO A LEYSER

DYNASTA IN NVDERSDORFF cet

IN POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIS AVLA CONSILIARIO, CONSISTORII ECCLESIASTICI DIRECTORE, CVRIAE PROVINCIALIS AC SCABINATVS ASSESSORE PRIMARIO, ET ORDINIS IVRIDICI PRAESIDE ORDINARIO

PATRONO AC PRAECEPTORE SVO

SVMME DEVENERANDO

IN ACADEMIAE VITEBERGENSIS

AVDITORIO IVRIDICO

DIE AVGVST. ANNO CIↃ.IↃ CC XLIX

DISPVTABIT

SAMVEL FRIEDRICVS LAVRISCVS

GVBENA-LVSATVS.

VITEBERGAE.

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS.

Pugnam non armorum ſaltem et manuum, ſed et verborum eſſe, rectiſſime obſervat *Doletus in Formulis locutionum latinarum fol.* 144. Ita *Cicero lib.* 2 *de Divinatione cap.* 50 *n.* 105: *Hic vero*, inquit, *quanta pugna eſt doctiſſimorum hominum negantium, eſſe haec a diis immortalibus conſtituta!* Idem *Cicero in Verrem*: *Nonnunquam*, ait, *res etiam ad manus et ad pugnam veniebat.* Ego itaque generali voce: *pugna;* omne genus certaminis per arma, per verbera, per fuſtes, per lapides, per altercationes, per convitia, complexus ſum.

I

Reprehenduntur diſputatores, qui convitiis ſe oppugnant, et magis, qui ad verbera procedunt.

Reprehendendi maxime ſunt diſputatores, qui contumelioſas lites exercent, ac ſaepe, rebus ipſis, de-

Digitized by Google

quibus diſceptant, obiter tractatis, in perſonam adverſarii ſtylum vertunt, atque ſe invicem conviciis proſcindunt. Aurei fortaſſis ſeculi iſta felicitas fuit, nobis fere prorſus incognita, qua bella inter eruditos ſine odio gerebantur, et diſputationes, non rixaę et altercationes, fovebantur. Hodie enim, ut plerique non veritatis amore, ſed ambitione inducti ſcribunt, ita ferre non poſſunt, ut alii his, quae ipſi ſentiunt, contradicant. Aut igitur horum ſtuporem derident, qui rem ſuo iudicio planam non percipiant; aut malevolentiam accuſant, quod ſine ratione fidem ſcriptis et inventis ſuis detrectent. Quod ſine aculeis et maledictis fieri vix poteſt; quibus alter, qui laceſſitum ſe et provocatum videt, ut non minus atroci ſtylo reſpondeat, cauſas ſe abunde nactum eſſe, putat. Hinc igitur illud dentatum et tortuoſum ſcribendi genus, hinc illa convitiorum et iniuriarum plauſtra, quibus uterque adverſarius ſic omne chartae ſpatium occupat, ut nihil fere ipſius cauſae tractationi relinquat. Quin nonnulli etiam ad verbera proceſſerunt. Narrat *Boccalini in relationibus ex Parnaſſo* bellum, quod inter Paulum Manutium et Dionyſium Lambinum exortum eſt de eo, an vox *conſumtum* cum p, an ſine p, ſit ſcribenda. Primum defendit Manutius, Ciceronianae dictionis acerrimus vindex, alterum Lambinus. Hic commotus ita fuit Manutius, ut veterem lapidem Romanum, in quo conſumtum cum p ſcriptum, Lambino in os coniiceret, et naſum ei confringeret. Sed magis ridiculum eſt, quod *Boileau in Hiſto-*

ria

ria flagellantium cap. 8 ex Bernardino de Buſtis in Opere mariali ſermone VIII de Fratre Franciſcano, magiſtrum theologiae, qui publice contra immaculatam conceptionem Mariae virginis declamarat, pugnis conſcindente narrat: *Apprehendens ipſum revolvit ſuper genua ſua; erat enim valde fortis. Elevatis itaque pannis, quia ille Magiſter contra ſanctum Dei tabernaculum locutus fuerat, coepit eum palmis percutere ſuper quadrata tabernacula, quae erant nuda: non enim habebat femoralia vel antiphonam, et quia ipſe infamare voluerat B. Virginem, allegando forſan Ariſtotelem in libro Priorum: iſte praedicator confutavit legendo in libro ſuorum poſteriorum; de hoc autem omnes, qui aderant, gaudebant. Tunc exclamavit quaedam devota mulier, dicens, domine praedicator, detis ei alias quatuor palmatas pro me: et alia poſtmodum dixit, detis etiam ei quatuor; ſicque multae aliae rogabant, ita quod, ſi illarum petitionibus ſatisfacere voluiſſet, per totum diem aliud facere non potuiſſet.* Quin et noſtro ſaeculo huiusmodi bella ſacra incognita non ſunt. Vidi ipſe menſe iunio anni 1715 acta ex ducatu Cliviae ad ICtos Helmſtadienſes miſſa, in quibus duo ſacerdotes, collegae, de baptiſmo infantis, quem uterque ad ſe trahebat, altercantes cubitis ſe invicem eousque tutudiſſe accuſabantur, donec alter de gradibus altaris, in quibus uterque ſtabat, deturbatus collegae cedere cogeretur.

II
ICtorum, qui verberibus invicem pugnarunt, exempla.

Scripſit ante aliquot annos amicus ex vicina academia ad me, deſcripſitque mihi dimicationem duorum eius academiae iureconſultorum in ipſo conventu iuridico, facultatem vocant, exercitam, doluitque academiae ſuae vicem, in qua talis pugna inaudito ab omni aetate exemplo contigerit. Conſolatus ſum virum optimum allegatis exemplis populi Romani, in cuius comitiis M. Livius Druſus, tribunus plebis, apud *Valerium Maximum lib.* 9 *cap.* 5 *n.* 2, L. Marcium Philippum, conſulem, per clientem, aut ſecundum *Florum lib.* 3 *cap.* 17 per viatorem, obtorta gula adeo violenter praecipitem egit, ut multus e naribus eius cruor profunderetur, et collegii Cardinalium, in quo, inſpectante Vrbano VIII, Pontifice maximo, Borgia, Sandovalius, Onofrius et Antonius anno 1632 manus conſeruerunt, de quo conflictu vide *Siri Memorie recondite Volum. VII pag.* 480 *ſqq.* et *le Mercure François de l'an* 1632 *pag.* 468. Sicut vero nihil fit ſub ſole, quod non iam ſit factum olim, inveni poſtea exemplum conflictus iuridici huic noſtro ſimillimi. Scripſerat nempe *Cuiacius ad L. Vinum* 22 *de Rebus creditis*, temulentos pleraque ad eam legem ſcribere quosdam interpretes. Hunc Cuiacii locum *Oſius*, Anteceſſor Aurelianenſis, *in Diſpunctione XVII ad Merillium*, quem librum hodie, mutata iurisprudentiae facie, fere inutilem *Otto tomo III Theſauri iuris Romani pag.* 685 *ſqq.* inſerere dignatus eſt, in quo theſauro, ut hoc obiter dicam, nonnullas gemmulas, nec non aliquid auri argentique,

ſed

ſed et carbones reperio, *pag.* 733 *ſq.* commemorat ac de ſuo addit: *Quod Cuiacius ait, temulentos pleraque ad eam ſcribere quoſdam Interpretes, non auſim ipſe dicere: ſed ira permotum adeo virum, alias fortiſſimum, mihique nunc et olim amiciſſimum, in ea agitanda, dum ſuam ratam eſſe vult opinionem, aliquando infenſum ſenſi, ut, cum duriuſculum aliquid et forte ſubcontumelioſum arbitrio ſuo oblocutus eſſem, ſubinde ab eo vapularem et quaſi temulentus ego, ob impactum non perfunctorie ſane colaphum, viderer mihi videre micantes igniculos ſtellulasque media luce diſcurrentes: quae tamen apud me caſtigatio non tantum effecit, quantum boni ratio potuiſſet.* Nomen huius fortiſſimi viri, qui Oſio colaphum duxit, ſupplevit *Menagius in Obſeruationibus in Diogenis Laertii lib.* 2 *ſegm.* 21 *pag.* 82. Fuit is nempe Monetus, anteceſſor item Aurelianenſis. Miror hic inprimis animum maxime chriſtianum Oſii, in quo accepta tanta a Moneto iniuria amicitiam non ſolum non evulſit, ſed nec imminuit nec turbavit.

III

Theologi etiam, ac inprimis ſancti patres, dum diſputant, ſaepe in maledicentiae vitium incidunt.

IIII

IIII

Qui id evitant, ampliſſimum ex hac moderatione ſua fructum capiunt.

Quam vellem, ut ſoli ICti in diſputationibus ſuis maledicentiae vitio obnoxii eſſent. Fieret hoc cum aliquo, non tamen adeo magno, ſcandalo. At quando ex theologorum ſchola tale par gladiatorum prodit, quod mutuis convitiis ſe proſcindit, hoc malum contagioſum et vera peſtilentia eſt. Exſtant tamen innumera harum ſacrarum et ſpurcarum pugnarum exempla. Ipſe ſaepius earum ſpectator et nonnunquam iudex cum Iove Virgiliano ingemiſco:

tantaene animis coeleſtibus irae!

Diſpudet profecto legere concertationes Auguſtini et Hieronymi invicem, qui mutua convitia plauſtris convehunt, ſic tamen, ut Hieronymus in maledicendi arte longe ſuperior ſit, de quo *Moshemius in Inſtitutionibus hiſtoriae Chriſtianae antiquioris ſaec. 4 parte 2 cap. 2 §. 8 pag. 309* ſic optime iudicat: *Hieronymus, monachus Palaeſtinus, multis ſine dubio meritis rem ſibi Chriſtianam devinxit, ſed acerbitate quoque erga diſſentientes, gloriae cupiditate, intemperantia commotionum animi, iniquis bonorum et innocentium virorum criminationibus, ſuperſtitionis, degenerisque pietatis inſana commendatione, aliisque vitiis, non levem ſibi apud poſteros ignominiam conſcivit.* Recte *Boehmerus*, theologus

Helm-

Helmſtadienſis, *in Proluſione III.* multa per huiusmodi bella, quae inter theologos geruntur, ab omni tempore deturpata eſſe dicit in eccleſia, et multos inde exiſtere, qui non admodum honorifice de religione chriſtiana ſentiant, originem autem horum bellorum ad ſolam ambitionem, peſtilens animorum blandimentum, refert. Iſti vero theologi, qui contraria via incedunt et in diſputationibus ſuis a maledicendo abſtinent, atque etiam ab adverſario criminationibus laceſſiti benigne ac comiter reſpondent, ampliſſimos ex hac moderatione ſua fructus capiunt. Nam et animos auditorum lectorumque ſuorum ſibi conciliant, et ipſorum adverſariorum amorem et benevolentiam conſequuntur. Cuius rei nullum luculentius exemplum, quam Guilielmi Bedelli epiſcopi Kilmorenſis in Hibernia, unquam repperi. Is reformatorum ſacris addictus non poterat non cum catholicis diſputare eosque refellere. At in his contentionibus etiam iis temporibus, quibus religio reformata in Hibernia dominabatur, maxime moderatus et lenis erat. Audivimus ipſum concionantem *in Specimine de Iureconſulto Diſputatore, medit.* 10 *not.* * Cepit vero ex hac modeſtia ſua hunc fructum, ut deinde catholici excitato tumultu et ſeditione ſuperiores facti reformatos omnes trucidarent, Bedello, familiae eius, aedibus ac iis, qui in eas confugerant, parcerent, quin et ipſum inter has turbas mortuum honeſtiſſime, in loco quoque conſecrato, ſepelirent. Teſtis eſt *Burnetus in Vita Bedelli*, cuius verba hic adponam:

 Les

Les Catholiques d'Irlande, à qui la haine pour les Proteſtans, et l'eſprit de rebellion inſpirent plus de ferocité, que la nature même de leur climat, et l'éducation, admirerent ſa vertu, et lui donnerent des marques fort ſignalées de leur reſpect le jour de ſa ſepulture. L'Evêque titulaire de Kilmore avoit pris poſſeſſion de l'Evêché: il falut le ſuplier de permettre que Mr. Bedell fût enterré dans le cimetiere de ſon Egliſe; il allegua d'abord que c'étoit une terre ſainte, qui ne devoit plus être profanée par de tels enterremens, mais enfin il accorda tout ce qu'on voulut, et ainſi le 9. de Fevrier 1642 le corps du defunt fut inhumé auprès de celui de ſon épouſe, comme il avoit ſouhaité pendant ſa vie. Les Irlandois voulurent en cette triſte occaſion lui rendre des honneurs extraordinaires; le chef des Rebelles aſſembla ſes troupes, les mit en ordre, et leur fit accompagner le corps en grande ceremonie depuis la maiſon de Mr. Shereden jusqu'au Cimetiere de Kilmore; ils vouloient même que Mr. Clogy fit l'office ſelon les ſtatuts de l'Egliſe Anglicane; mais quoi que les Gentilshommes lui euſſent fait cette honnêteté, on ne jugea pas à propos d'en uſer, de peur d'exciter la rage d'une canaille qui n'étoit que trop échauffée. Lors qu'on mit le corps en terre, elle fit une decharge, et s'écria en Latin, requieſcat in pace ultimus Anglorum, Paix ſoit au dernier des Anglois; et en effet ils avoient proteſté fort ſouvent qu'ils avoient plus de conſideration pour Monſr. Bedell, que pour aucun autre des Evêques Anglois, et qu'il ſeroit le dernier ôté de parmi eux.

V

In diſputando media via inter maledicentiam et frigidam modeſtiam eſt ſervanda.

Difficile hic eſt, mediam tenere viam, ne, dum nimis etiam modeſtiae ſtudes, in ſtuporem incidas. Abſona ſunt ſcripta, quae nullo prorſus adſperguntur ſale, et frigida illa ingenia magnarum rerum incapacia cenſentur. Eleganter *Cicero l. 1 de Finibus : Differentium*, ait, *inter ſe reprehenſiones non ſunt vituperandae: maledicta, contumeliae, tum iracundiae, contentiones concertationesque in diſputando pertinaces indignae mihi philoſophia videri ſolent. Neque enim diſputari ſine reprehenſione ; nec cum iracundia aut pertinacia recte diſputari poteſt.* Sunt aliqua, ſed pauca, huiusmodi diſputatorum exempla, qui modum inter frigidam illam modeſtiam, et furioſam maledicentiam ſervare didicerunt.

VI

Hotomanni et Goveani moderatae diſputationes laudantur.

Hotomannus, ſi *auctori vitae eius* credimus, eo ingenio fuit, ut amice reprehendentes amaret, ſed et acerbe tanquam erranti inſultantibus ac bilem moventibus, iuſti

 dolo-

doloris aculeos ulturos oſtenderet magis, quam infigeret, ſemper ut vitia, quam homines inſectatus, et in rem potius, quam in perſonam, egiſſe videretur. Igitur, quum Balduinum, quem amicum antea habuerat, ſummum famae nominisque hoſtem experiretur, libellis eius oppoſuit unicum *de Officio pii ICti*, ad iniurias vero ipſius et offenſiones tacuit. Idem *Ant. Goveanus*, ICtus Hiſpanus, quem aliqui etiam Cuiacio praeferunt, fecit; qui, quum *Eguinarii Baronis* libros *de Iurisdictione* confutaret, eius viri praeſtanti ingenio excellentique doctrina ſe ipſum ſuperari, fatebatur; et ab ipſo non tam animo diſſidere, quam iudicio diſſentire videri volebat. Adde *Io. Clerici Silvas philologicas lib.* 1, ubi moderatas diſputationes Caſauboni, Gerhardi Io. Voſſii, Schefferi, Sirmondi, Graevii, Spanheimii, Cuperi, laudat, contra Lambini, Gruteri, Scioppii, Petavii, Giſanii, Parei, Godofredi, Scaligeri, Salmaſii, impura certamina, quibus lutum ſaepe non eſt lutulentius, reprehendit.

VII

Exempla contumelioſorum certaminum inter antiquos ICtos recenſentur,

VIII

in quorum numero eſt Tabor, qui Salmaſium, dominium in mutuo transferri negantem, recte quidem, ſed contumelioſiſſime, refutauit.

Eorum

Digitized by Google

Eorum numerus, qui commiſſi invicem, tanquam gladiatores, ridiculoſiſſima orbi literato ſpectacula exhibuerunt, maior eſt, quam, ut totus hic poſſit notari. Afferemus tamen aliquos ex antiquis maxime, quum, recentiores excitare, invidioſum ſit. *Baldus* cum *Bartolo*, praeceptore ſuo, ſic acriter concertavit, ſic unus alterius famam maledictis laceſſivit, ut, illum tandem victum et pudore confuſum patria ceſſiſſe, *Iaſon* auctor ſit. *Budaeus*, quem inter iuriſperitos bonarum, maxime Graecarum, literarum notitia, aequarunt pauci, anteceſſit nemo, cum *Eraſmo*, aemulo ſuo, ita contendit, ut arctiſſimam amicitiam in capitale odium, et laudes, quas mutuis ſibi literis invicem tribuerant, in contumelias mutarent. *Cuiacio* hoc ingenium erat, ut, quum ipſe de alienis operibus libere iudicium ferret, in libris tamen ſuis aliqua ab aliis reprehendi, haud aequo animo pateretur. Vſitatae illi hae in reſpondendo phraſes erant: *Scutica dignus*, *ſtultus*, *mendax*, *caecus*, *caliginoſus*, *os durum*. Quibus adeo offendit *Hotomannum*, adverſarium ſuum, ut et hic ſuam aliquando manſuetudinem exueret, et maledictis, ut par erat, reſponderet. Intervenerunt his controverſiis *Balduinus*, *Duarenus*, *Robertus*, *Forcatulus*, et alii, atque rixando id effecerunt, ut, quod Timon philoſophus apud *Athenaeum* de muſeo Alexandrino, in quo viri eruditiſſimi ex toto orbe collecti alebantur, dixerat, ad Galliam eo tempore applicari potuiſſet; eam caveam eſſe, in qua aves maximi pretii incluſae

ſae ſaginarentur, pugnantes ſemper invicem et digladiantes. Artem conviciandi egregie calluit *Io. Otto Tabor*, ICtus Argentinenſis, atque inprimis contra Salmaſium exercuit, in bello, quod cum eo de quaeſtione, an alienatio in mutuo interveniat, geſſit. Totum Taboris ſcriptum, quo Salmaſium refellit, huiusmodi conviciis ſcatet. Vbi benignius cum eo agit, deliria, inſaniam, ei obiicit, *archiliteratorem*, einen Ertzpedanten, adpellat, cetera. Ipſum forſan Taborem huius ſcripti ſuppuduit. Ita enim illud abſcondidit, ut difficulter reperiatur. Opuſculo enim *de Obligatione ſucceſſorum in officiis*, quod ſeptem capitibus conſtat, attexuit in octavo capite tanquam cognatum. Sed hanc cognationem, ego hebetior ſum, quam ut adſequi et capere poſſim. Miror quoque, hoc octavum caput, quamuis acceſſorium, principali ſuo longius eſſe, et pluribus foliis, quam cetera ſeptem priora capita omnia continent, conſtare. Vide illud in *Tractatibus Taboris Vol. I. p.* 211 *ſqq.* Quod ad litem ipſam attinet, ea utique ſecundum Taborem danda eſt, quum in mutuo debitor pleniſſimam alienandi poteſtatem, quae dominio adiuncta eſt, conſequatur.

IX

Aegidius Menagius aduerſarios ſuos indigniſſime tractat.

Sed ad ſcriptores quosdam noſtro ſeculo propiores veniamus. *Aegidius Menagius*, quem ICtum praeſtantiſſimum

tiſſimum *Strauchius* vocat, elegans, ſed et mordax in ſcribendo fuit. Neminem facile extitiſſe, credo, qui indignius adverſarios tractarit. Nebulones appellauit ſubinde, ut alia atrociora taceam, quorum plena ſunt eius *Epigrammata*, *Amoenitates Iuris* et *Menagiana*. In *carmine ad Mnemoſynen*:

> *Da*, *Dea*, inquit, *da nobis*, *atrocia tot nebulonum*,
> *Immeritum qui me pergunt vexare libellis*,
> *Dicta oblivisci*, *memori mihi condita mente*.

A *Mamurra*, Profeſſore Graecarum literarum, aliquando offenſus, non ſolum ipſe ſcripto ſe vindicavit aculeatiſſimo, ſed, ut omnem contra illum eruditorum exercitum educeret, claſſicum cecinit egregius buccinator; auſus, iis etiam multam dictare, qui non venirent.

> *Qui non ſcripſerit*, *inter eruditos*
> *Inſulſiſſimus ambulet patronos*.

Et licet in literis, *Amoenitatibus Iuris* praemiſſis, hoc polliceatur: *Adverſariorum ingratum animum*, *invidias*, *iniurias*, *maledicta*, *dicteria*, *ſcommata*, *immotus*, *ut philoſophum et Chriſtianum decet*, *ſinam praeterfluere*; id tamen adeo non praeſtitit, ut in fine adhuc eiusdem epiſtolae indigniſſime tractaret hominem, qui in libro contra ipſum ſcripto eum *Advocatum* et *Magiſtrum Aegidium* appellarat.

X

Samuelis Puſendorffii ſpurcae lites.

Atrocia haec ſunt, fateor; ſed ſi cum illis comparentur, quae inter *Puſendorffium* et adverſarios eius interceſſerunt, levia videbuntur. Sic enim ſummus ille iuris naturae doctor, et hi, qui contra ipſum ſcripſerunt, in ſe invicem debacchati ſunt, ut omnem convitiandi, obiurgandi, maledicendi materiam exhauſiſſe videantur. Omnia ſibi ſcelera, quae excogitari poterant, veneficia, adulteria, latrocinia, inſidias vitae ſtructas obiecerunt. *Moechos* ſe, *carnatos diabolos*, *ſicarios*, *Aſinios Tenebriones*, etc. vocarunt. Nec ingenioſa omnia erant. Ex trivio et gynecaeo abiectiſſimas loquendi formulas petierunt, quibus ſuam uxorumque ſuarum famam invicem laceſſerent. Non iam plura de lutulentis his et ſpurcis diſputationibus dicam, quum, quae in iis obſervari merebantur, accuratiſſime excerpſerit *Ludovici in Hiſtoria iuris naturae.*

XI

Mos, malos uxorum mores maritis per convitium obiiciendi, improbatur.

XII

Conringii infelicitas hac in parte.

Mos

Mos hic, impudicam uxoris vitam marito per convicium obiiciendi, de quo *in praecedente §.* dixi, vetuſtiſſimus eſt. Narrat *Plutarchus in vita Syllae*, Syllam, captis Athenis, acerbius in incolas ſaeviſſe, quod obſeſſi Metellam, uxorem Syllae, de muro ſalibus et convitiis fuiſſent inſectati; item; Syllam ad capiendas Athenas gravi et inexorabili cupiditate fuiſſe incitatum, quod furioſius convitia morſusque ferret, quibus Ariſtion, Athenarum tyrannus, eum atque Metellam paſſim de muris irridens et inſultans irritabat. Addit *Iſelinus* im allgemeinen *Lexico* art. *Sylla*, Syllam tunc primum impudicitiam uxoris reſciviſſe: aus welchem er erſt hatte angefangen zu vernehmen, daß ſeine neue Gemahlin *Metella* nicht eben das keuſcheſte Weib wäre. Quam circumſtantiam, etſi in Plutarcho, et iis, quas Iſelinus allegat, auctoribus clare non reperiam, iam tum tamen in alio bono auctore, cuius nomen nunc non reminiſcor, legi. Si ergo, de quo non dubito, vera eſt, Syllae idem fatum fuit, quod magni Conringii, cuius uxoris vinolentia et impudicitia adhuc hodie Helmſtadii, ubi habitavit, per ora hominum variis hiſtoriolis traducitur, ſed et exteris nota eſt. Certe Kirchmaierus noſter, vir in hiſtoria literaria et antiquitatibus verſatiſſimus, mihi narravit, divum parentem ſuum, qui cum Conringio intimam familiaritatem habuit, hanc amici ſui calamitatem ſaepe doluiſſe. Solus tamen Conringius eam ignoravit, ac demum in lite, quam pro Electore Moguntino contra Electorem Colonienſem de iure coronandi Auguſtum exercuit, reſcivit, nec tamen credidit. Quum enim *Petrus a Streithagen anno* 1656 *Stricturas in Conringii Aſſertionem iuris Moguntini in coronandis regibus Romanorum* Bonnae edidiſſet, ac in iis *pag.* 104 haec verba: *Conringio compe-*

tit habere uxorem, ſed illi ſoli eam habere non competit. Cedat ergo aliis in praedam, ut illa apud Propertium,

In qua olim populus luſit Erichtonius,

poſuiſſet, Conringius ad amicum: miror, dixit, talia homini contra caſtiſſimam uxorem meam in mentem venire potuiſſe.

XIII

Huberi cruenta certamina.

Magna profecto circumſpectione opus eſt, ne incauti in inhonoratas illas dimicationes incidamus. Quod modeſtiſſimis interdum diſputatoribus contingit, ut, dum initio moderate ſatis diſceptare coeperunt, continuatis et repetitis ſaepius ſcriptis ita animos exacuant, et omnem ſolidam pugnandi materiam abſumant, ut ad cavillationes deinde illis ſit confugiendum. *Vlricus Huberus*, decus omnium apud Batavos ICtorum, ſatis manſvetudinem ſuam in reſponſionibus ad ſcholia a *Thomaſio in eius Poſitiones* ſcripta probavit. Contra alios tamen aeſtu ſe et diuturnitate certaminis auferri paſſus eſt. Non iam dicam de lite, quam ut philoſophus magis cum *Dukero* et *Roelio* exercuit, contra quos, Scripturae Sacrae auctoritatem ex ratione adſtrui non debere, aſſeruit. Quae controverſia placidiſſime primum tractata in calumnias demum et iniurias erupit, quibus maxime ultima *Huberi reſponſio*, quam *ſtricturas* vocat, ſcatet. Magis ad nos pertinet quaeſtio de ſignificatione vocis *praetorii*, quae ipſum cum *Perizonio*, viro eloquentiſſimo et hiſtoriarum antiquitatumque peritiſſimo, commiſit. Huberus praetorium partem palatii, in qua auditorium Caeſaris eiusque praefecti erat, interpretabatur. Perizonius contra, nullum

lum huiusmodi auditorium unquam fuiſſe, aſſerebat, ſed praetorium de ipſa cohorte praetoriana et ſtatione eius explicabat. Primus *Perizonius diſſertationem de Origine, ſignificatione et uſu vocum, praetoris et praetorii* edidit; cui *Huberus*, ſed moderate, in ſecunda *Praelectionum* editione *ad tit. de Offic. praef. praet.* reſpondit. Secuta ſunt *Perizonii Diſſertatio philologica* et *Huberi tractatus de praetorio*, acerbiora paululum. Acriores multo erant *Perizonii cum Hubero diſquiſitio de Praetorio*, et *Huberi Summa et Cenſura huius libri.* Quam iniquiorem in ſe non tulit *Perizonius*, ſed, praeter *Abſterſionem Cenſurae Huberianae*, ſcripſit *Specimen errorum ſupra centum et viginti ab Hubero in primo tomo Hiſtoriae civilis commiſſorum, cum praemiſſa praefatione apologetica, dedicationi iſtius tomi repoſita, ſubiectis reſponſionibus et animadverſionibus in eiusdem Huberi diſputationes eunomicas.* Qua iniuria inflammatus *Huberus de Calumnia centum et viginti errorum Perizonii* publice conqueſtus eſt. Sed vindicavit hos errores Perizonius *a cavillationibus et clamoribus*, ut ſcribit, *Huberi;* atque novos aliquos demonſtravit. Cui tandem concertationi mors Huberi interceſſit, atque infenſiſſimum hoc par diviſit. Aliud non minus cruentum certamen Huberi cum Eckio deſcribit *Thomaſius* in **Schertz- und Ernſthafften Gedancken** *ann.* 1688 *menſe Iun. p.* 874. Ceterum non poſſum non hic repetere iudicium, quod olim *in Specimine* 77 *de Foro academicorum medit.* 3 de Hubero tuli, et, quod *Iuvenalis in Satyra* 6 *verſu* 167 *et* 168 de Cornelia, Scipionis Africani filia, Caii et Tiberii Gracchorum matre, dicit:

. . cum magnis virtutibus adfert
Grande ſupercilium;

ad eum trahere.

COROL-

COROLLARIA

I. Verba nonnulla, per ſe iniurioſa, e. g. diffamare; ſpolium; in fraudem; in ore tamen et ſcriptis ICtcrum et advocatorum innocentia ſunt. Vide *Specimen 547 de Convitiis advocatorum med.* 5, 6.

II. Advocatus de iis, quae ex mandato clientis pro eius defenſione ſcribit, etſi ea falſa, dummodo veriſimilia, fuerint, iniuriarum non tenetur. *Ibid. med.* 7.

III. Advocatum contra perſonam, cui cliens reverentiam debet, verbis duriuſculis ſcribentem nec verba in factum temperantem, ſed ſcapham ſcapham appellantem, nec veritas contra actionem iniuriarum tuetur.

IIII. Exceptio veritatis advocatum non ſolum in iis, quae aduerſario vel teſti, ſed et, quae iudici obiicit, excuſat;

V. Neceſſe tamen eſt, ut verba in factum temperet. Vide dictum Specimen 547 medit. 11, 12.

A011472664

Digitized by Google